



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117875**

§. 49. Legatorum Romanorum reditus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

Sæculum IX. Romani vero, nec Bulgari, quid Orientales dicerent, percipiebant. Sed unus aderat Imperatoris Interpres, qui nec Romanorum, nec Orientalium voces aliter audebat reddere, quam jubebat Dominus suus, ut, quod volebat, Bulgari persuaderet. His etiam data est pagina, in qua Græce scriptum, Legatos Orientis, inter Papam & Ignatium Patriarcham arbitros, sententiam pronunciasse, Bulgariam Jurisdictioni Constantinopolitanæ Ecclesiæ oportere esse subiectam.

## §. XLIX.

*Legatorum Romanorum reditus.*

*vit. Hadr.*  
*p. 894.*

Legatorum Romanorum constantia Basilium Imperatorem iisdem jam prius, quod ipsum ad reddendos libellos compulissent, subiratum acrius commovit. Nihilominus dolorem dissimulans, eos mensæ adhibuit, tumque magnis donis cumulos dimisit comitante Theodosio Spathario, qui discedentes Dyrrachium deduxit. Sed nullum abeuntibus præsidium paraverat Basilius; unde cum post lapsum paucorum dierum Dyrrachio solvissent, inciderunt in Piratas Sclavos, qui rebus omnibus spoliatis etiam authenticum Actorum Concilii, in quo subscriptiones erant, abstulerunt. Quin captos & vita ipsa privassent, nisi aliquos, qui



qui effugerant, sociorum mortem haud dubie ulturos, pertinuissent.

Sæculum IX.  
A.C. 870.

Tandem postquam Papa & Imperator datis literis effecissent, ut libertati restituerentur, Romam pervenerunt vigesima secunda Decembris eodem anno octingentesimo septuagesimo, Indictione quarta. Libelli quoque abjuratiōnis, quos adhucdum Constantinopoli existentes Suppoppo & Anastasio Ludovici Imperatoris Legatis commiserant, feliciter Romam delati sunt cum exemplari descripto Actorum Concilii, quod, factum provide, Anastasii solertiæ debemus.

§. L.

*Versio Concilii Anastasio Auctore.*

Pontifex Acta Concilii descripta, non sine magno lætitiæ sensu accepta, Anastasium in latinum vertere jubet. Qui subiit imperium, vertitque de verbo ad verbum, quantum diversitas linguarum permittebat; quin sæpe plus iusto phrasēs græcas retinuit, a genio latii divergentes. Addidit in margine adnotationes, in quibus mores Græcorum exponit, vel quædam facta, Romæ vel Constantinopoli sibi comperta, refert. In fronte Versionis conspicitur Præfatio in forma Epistolæ ad Hadrianum Papam directæ, in qua historiam Schismatis Photiani